

vij

cumulasti , aliqua Tibi vicissim , pro
mea virili parte , grati animi significa-
tio dari posset ; id è re esse existimavi ,
ut Quintus iste meus Bibliothecæ Juris
Orientalis Canonici & Civilis Tomus ,
Tuo non nisi nomini inscriptus , in lucem
prodiret . Et Is quidem , edito Librorum
typis impressorum amplissimæ Biblio-
thecæ Tuæ Chisianæ Catalogo , publi-
cum singularis suæ erga Te observantiaæ
testimonium præbuerat , & adhuc ope-
ram studiumque suum recensendis præ-
stantissimis ejusdem Chisianæ Bibliothe-
cæ manuscriptis Codicibus , quo suam
pro acceptis beneficiis tuis gratam volun-
tatem magis magisque patefaceret , dili-
gentissime impendit . Ego vero & hanc
habeo cum ipso communem , & aliam
mihi propriam causam esse arbitror , cur
istud qualemcumque est operis Tibi po-
tissimum nuncupare decreverim . Licet
enim ægre ferat innata Tibi animi mo-
deratio , non est tamen impetratura a
me , ut a prædicandis Virtutum Tua-
rum